

D. D.

DISSERTATIO ACADEMICA;

VOCIS

Esa. VII: 14.

VERAM NOTIONEM
ERUENS;

QUAM

*Consensu Amplissime Facult. Philosoph. in Regia
Academ. Aboënsi,*

PRÆSIDE;

*Viro Maxime Reverendo atque Amplissimo,*D_N. CAROLO ABRAH.
CLEWBERG,L. L. O. O. & Græc. PROFESS. Reg. & Ordin;
Publico examini modeſte ſubjicit,

STIPENDIARIUS REGIUS

LAURENTIUS SETTERMARK,

W. GOTHUS.

Die III. Julii Anni MDCCCLVI.

Loco horis que ante meridiem consuetis.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc,
Finland, JACOB MERCKELL,

Viro Amplissimo;

D^N. ANDREÆ ROOS,

Civitatis Aboënfis *Consuli æquissimo,*

Viro Experientissimo,

D^N. J. SYNNERBERG,

Pharmacopolæ hujus urbis dignissimo,


PATRONIS OPTIMIS.

Gratus animus, & secum quotidie expendit accepta beneficia & quavis data occasione eadem celebrare nititur. Proinde, cum ingrata mente nullum mibi majus vitium semper visum fuit, oportunam mibi hodie dari ansam vehementer lator, qua liceat intra angusta cordis sepimenta delitescentem hactenus pietatem publico expromere. Sed mox fateri cogor, tantam esse beneficiorum vestrorum, Patroni Optimi, in me collatorum multitudinem, ut eadem ingenii vires sufflaminet, utque eorum copia ad verborum redigar inopiam. In pignus itaque animi gratissimi suscipite has, quas Vobis offero, studiorum meorum primitias, facilesque finite, me patrocinio vestro etiam in posterum frui. Pro vestra vestrorumque omnigena felicitate vota fundere calidissima non intermittam

NOMINUM VESTRORUM,

Cultor humillimus,

LAUR. SETTERMARK.



I. N. D.

§. I.

Qui adtento animo consideraverit multifaria gratiæ divinæ documenta, haud facile inveniet quidquam, unde paternus Summi rerum Arbitri affectus erga genus mortalium, aut plenius aut planius innotescat, quam ex dono veræ & puræ religionis, qua omnes exornat, qui efficaci ipsius operationi malitiosa reluctandi pertinacia obicem non ponunt. Hæc prærogativa tot complectitur commoda, quot vix cogitatione comprehendi, nedum oratione explicari possunt. Præterquam enim, quod salus æterna in veritate & puritate religionis vertatur, etjam felicitas hujus vitæ ipsi tanquam basi necessario superstrui debet, si genuina erit & perpetua. Nam, ut innumera præteream argumenta, quibus veritas hujus assertionis satis firmiter adstrui posset, eandem extra controversiam ponit tranquillitas conscientiæ, quæ felicibus suis possessoribus quotidianum instruit convivium, quo nihil suavius, nihil dulcius vel optari potest. Contra vero tantum abest, ut sincera voluptate frui possint, qui aut falsa, aut

A

nul-

nulla imbuti sunt religione, ut potius necesse habeant perpetua ægritudine & continua inquietudine vexari & cruciari. Jam vero cum religio, quæ dicto sufficiet scopo, aliunde quam ex divinis oraculis hauriri nequeat; facile intelligitur, quantum pretium his statui debeat ab omnibus, qui ad constantem felicitatis fruitionem adspirant. Nam Sacra quidem Scriptura melliti solatii immensas continet divitias, sed in locis bene multis adeo abstrusas & reconditas, ut absque legitimo scrutinio neque detegi neque erui possint. Si quis igitur Scripturas rite scrutari velit, necessarium instrumentorum adparatum adhibeat oportet. Hinc prono fluit alveo, non cuiuslibet esse hoc munere, uti decet, defungi. Quamvis enim bonæ notæ versiones, adhibita adtentione & meditatione, sufficere quodammodo possint iis, qui, in suum solummodo usum & aliqualem aliorum institutionem, verbum divinum cognoscere & intelligere cupiunt; tantuna tamen abest, ut absque peritia sermonis originalis officio semper satisfacere possint, qui ad hoc vocati sunt, ut, necessitate exigente, impetum hostium veritatis excipient ac sustineant, ut potius, cum jactura veritatis, quam defendere debent, adversariis vietas dare manus cogantur, quoties congregandum fuerit cum iis, qui ex pharetra Philologica sagittas depromere didicerunt. Poteſt autem quidquam esse turpius Christiano, quam infictia atque imperitia veritates religionis prodere? Nemo igitur, cui sanus fuerit sensus, negare poterit,
quoniam

quin notitia lingvarum in Scriptura rite tractanda
in signem habeat utilitatem.

§. II.

SExcentis enim exemplis ostendi posset, quam proficia compendia in refutandis adversariorum argumentis, quibus veritatem oraculorum Scripturæ vel evertere vel pervertere student, ex armamentario philologico derivari queant. Unicum speciminis loco adduxisse sufficiat, solatiferum scilicet vaticinium, quod de *Immanuele ex virgine nascituro* edidit Esaias Propheta capite VII. v. 14. Dici enim vix potest, quantis tenebris divinum hoc oraculum obruere satagant, qui sua interesse putant, omnem mouere lapidem, ut ex verbis Prophetæ alium extorqueant sensum, quam Spiritus Sanctus, qui per eum locutus est, intendit. Textus vero authenticus sic habet: **לֹא כִּי יְהוָה אֱלֹהֵינוּ וְיַעֲשֶׂת כִּי יְהוָה הַנֶּחֶן הַעַלְמָה הָרָה וַיְלַךְ כִּי וְקַרְאָת שְׁטוֹ עַמּוֹנָא ל** i. e. *Propterea dabit vobis Dominus ipse signum: Ecce virgo grāvida est & pariet filium & vocabit nomen ejus Immanuel.* Admirabilem Messiæ nativitatem, & quidem ex illibata virgine futuram, hic præfigiri, haud obscure innuit Matthæus capite I. v. 22. & 23. Hunc sequuntur plerique Christianorum interpretes, tam antiquiores quam recentiores. Judæi vero, quibus fides in oculis est, quidquid nostrates ex oraculis Prophetarum ad fidem suam demonstrandam deponunt, omnes, qui hanc interpretationem tuer,

tur, erroris postulant, usque ad raucedinem clamantes, his verbis nihil aliud indigitari, quam natum iri puerum, cuius nomen esset Immanuel, & quidem ex femina ætatis florentis, sive illa sit conjux Regis Achazi, sive uxor Prophetæ Esaiae, sive alia quæcunque, vel nupta vel innupta. Præfracte enim negant, vocem מִלְחָמָה valere virginem, quamvis probaturi nihil allegare valeant, quod aliquid momenti trahat. His pollicem premunt nonnulli commentatorum Christianorum, utpote Grotius, Pellicanus, Tirinus, Crellius & alii, qui tamen, ut auctoritatem Matthæi, scriptoris Theopneusti, quam revera enervant, aliquo saltem modo agnoscere videantur, concedunt hunc locum agere de nativitate Salvatoris, verum indirecte, eundemque per modum typicæ cujusdam allusionis ab Evangelista allegari fingunt. Nos vero, ductum sequi saniorum, firmiter tenemus, Spiritum Sanctum hoc loco directe loqui de stupendo hocce miraculo, atque sensum litteræ esse, nasciturum aliquando masculum ex femina ætatis florentis, sed integræ pudicitiæ, absque interventu seminis virilis, per supernaturalem operationem Numinis, qui ipso opere esset, quod nomen ejus importat, nimirum *Deus nobiscum*, seu homo natura divina simul præditus. Quum igitur nobis, jussu eorum, quibus refragari nefas est, specimen aliquod Academicum esset edendum, hoc nobilissimum judicavimus argumentum, in quo tenues nostras vires periclitaremur. Si igitur sententiam orthodoxam quam paucis

cis jam indicavimus, idoneis munire subsidiis & illepidas adversariorum argutias explodere atque diluere valuerimus, nos haud inanem cepisse laborem, sperabimus. Interea Te, Benevole Lector, qua decet observantia, rogamus, velis innocua nostra conamina æqui bonique consulere, & quidquid infra exspectationem tuam substiterit, benigna perstringere censura.

§. III.

Quoniam controversiæ cardo in voce מְלֵה præcipue vertitur; eandem potissimum excutere convenit. Hic vero tria notanda veniunt, radix, forma & usus, quæ si rite fuerint evoluta, nihil dubii remanebit, quin verum oraculi sensum adsecuti esse censemur, si illud de beatæ virginis Mariæ partu, quo salvis pudicitiæ claustris, enixa est Messiam, interpretetur. Vocabulum מְלֵה ortum dicit a verbo מָלַח, cui Lexicographi communiter notionem *occultandi* & *abscondendi* tribuunt. Quæ etiam in Sacris eidem revera competit. Num vero hic significatus sit primigenius, inter omnes Linguæ Sanctæ doctores non convenit. Albertus Schultensius, vir in litteris Arabum versatissimus, plurimis probat exemplis, in Arabismo huic radici subesse notionem *obsignandi*, eamque ponit originariam, ex qua ideam *absconfionis* & *oœlutionis*, tanquam significationem quandam generaliorem, promanasse contendit (æ). Hinc vi formæ suæ externæ vox מְלֵה denotabit *obsignatam*. Nam nomina feminina, quæ litteris radicalibus a fine adiectum ha-

bent **נָשָׁה** feminineum, ejusdem sunt indolis ac masculina segolata, quæ effectum sui verbi significare solent. Quid vero aliud importabit hic obsignata, quam feminam illibatae pudicitiae, quæ nunquam in sinum viri venit? Ratio denominationis in promtu est. Constat enim inter omnes, qui sibi perspectam habent fabricam corporis humani, adesse aliquid in virginibus, quæ nondum castitatis jacturam fecerunt, unde occasio hujusmodi denominationis haud incommode desumi potuerit. Nec hoc diffitear, cel. Pet. Dan. Huetius, qui licet usum verbi **נָשָׁה**, quem detexit Schultensius, non perspexit, haud obscure tamen hoc ipsum subodrassè videtur, cum scribit: id etiam nomen virginis ea de caussa „adscriptum suspicari possumus, „quasi clausam, obseratam & obsignatam dicas, „quod inviolatum virginitatis suæ sigillum & in- „tegra claustra servavit. Quo spectat illud Salomonis in Cantico cap. IV. v. 12. Hortus clausus foror „mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. „Quamobrem virginem integrum veteres *signatam* „dixerunt; ut notat Nonius, quod & Lucilii „auctoritate confirmat. Haec tenus Huetius (b). Neque Hebræis insolens est rebus imponere, nomina, quæ proprietatibus earum naturalibus, quam fieri potest, exactissime respondeant. Huc applicari posset sexus feminei nomen generale נָשָׁה si certum esset, quod notio perforandi, radici נְקַבָּה, unde descendit, tribuitur, hic attendi deberet, nec consultius videretur, honestiorem adoptare denominatio-

minationem, quam suppeditat altera verbi significatio, vi cuius נקבה denotat excisam, quatenus femina ex latere masculi primitus exsculpta est. Hanc tamen etymologiam vocis עלםה admittere non videtur nomen masculinum עלם juvenis, quatenus ratio, quam adduximus, hic locum non inveniat. Sed nihil obstat, quominus etiam in ejus denominatione haberri potuerit ratio obsignationis, quod facile ostendi posset, nisi res per se clara esset. Neque enim in adolescentibus adhuc impuberibus obvia sunt omnia, quæ ætate robustiore innotescunt.

(a) Videatur Sectio X. §. IV. Vindiciarum opusculi de Defectibus Hodiernis L. H. eorumque sarcendorum tutissima via & ratione, quas Lugduni Batavorum anno 1737 edidit contra Cel. Driesenium, qui peculiari dissertatione de veris caussis & auxiliis interpretandi L. H. Biblicam, Origines Hebræas & librum jam laudatum impugnare sustinuit (b) in Demonstratione Euangelica Propos. IX. Cap. IX. p. m. 689.

§. IV.

Sed erunt forte, quibus hæc ratio denominandi minus arridebit, ex eo capite, quod notio nem *obsignandi* verbo מְלַעַת subjectam esse apud Lexicographos observatam non inveniant. Cum his vero nos ferram contentionis reciprocare nolumus. Adoptent, per nos licebit, vulgarem *occultandi* notionem, quam veteres fere omnes huic radici tribuunt. Nihil hoc nostræ nocebit caussæ. Tantum enim abest, ut hoc pacto labefactetur, ut potius maximopere confirmetur. Etenim, qui hanc viam ineunt,

ineunt, argumenta non contemnenda producunt, quibus probabilem reddant hypothesin, si minus eandem extra controversiam ponant. Talia sunt multa, quæ desumuntur ex moribus omnium prope gentium, quæ vel orientem vel occidentem incoluerunt. His enim in more positum fuit claustris domorum inclusas custodire pueras, ne in oculos lascivorum incidentes, blanditiis eorum seducerentur ad aliquid perpetrandum, quod detrimentum adferret pudicitiae, qua nihil nobilius, nihil pretiosius possident mulierculæ (c). Plurimis enim exemplis didicerant, facile fieri posse, ut blandulae hæ animulæ ex improviso in laqueos procorum minus pudicorum inciderent, si quocunque liberet, licitum esset expatiari. Nam tenerum quid innatum est animis virginum, quod hujus generis temptationibus haud facile resistit (d). Nec cuiquam ignotum esse potest, quod Dinæ Jacobi filiæ accidit, cum domo patris egressa, extra oleas vagaretur, sub praetextu invisendi virgunculas regionis in qua morabatur (e). Apud Persas moris erat, femellis custodiendis præponere eunuchos, & quidem alios tactis, alios intactis, quod ex Libri Estheræ capite II. commate 14. & 15. constat, ubi seorsim injicitur mentio בֵּית הַנְּשָׁיִם seu γυναικεῖον, in qua illibatae, & in qua defloratae includebantur. Nam singulis noctibus singulam virginem tori sociam habebat Rex, & simul ac quamque cognoverat, non amplius in penetrale virginum, sed conclave

clave meretricum deducebatur, cui diversus præterat Ιερὸς seu eunuchus. Hinc Alexandrum eo nomine laudat Plutarchus, quod feminas Darii, quas bello ceperat, ita ab omni petulantia tutas præstiterit, ac si intra sacros παρθενών a conspectu hominum remotæ fuissent. Apud Ægyptios talem viguisse morem, virgines in gynœceis conclusas servandi, ostendit, præter alios Heliodorus Æthiopicorum Lib. V. & VI. ubi Charicleam cum virginе Nausiclea εἰς τὴν γυναικούτῳ χωριδῖναι i. e. in gynœceum seorsim secessisse scribit: & deinde, cum hæc Cnemoni nuberet, illam χωριδεῖσαν μόνην τῶν ἄλλων εἴσι τὸ συνθήσεον ἀλθεῖν δομάτων, καὶ τὰς θύγατες εἰς τὸ ασφαλὲς εἰσιλεῖσθαι id est, solam segregatam in solitum conclave venisse, & fores ad securitatem clausisse.

(c) Virginitas est foror Angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio omnium honorum, Cyprianus in Lib. Virgin.

Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur:

Sed pudicitiam & pudorem & sedatam cupidinem.

Plautus in amphit.

Nulla reparabilis arte

Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

(d) Major est victoria virginum, quam Angelorum. Angeli enim sine carne vivunt: (virgines vero in carne triumphant. Ambrosius de viduis. (e) Integra historia legi potest Gen. XXXIV. Com. I. & seqq.

§. V.

EUndem quoque morem apud Arabes invaluisse legimus. De feminis Scenitarum, narrat Bal-

thasar Ludov. Eskuche, quod tota fere vita semet intra parietes tentiorum contineant, atque ita constructa esse tentoria observat, ut ipsæ, nulli vi-
sæ, extra prospicere possint, quidquid viri agant. Hoc confirmat auctoritate de la Roque, ita de se-
scribentis: „accidit aliquando, ut feminæ Emiri
„me videre vellent, gratumque sibi fore adfirma-
„rent, si post solis occasum, ante primarium ten-
„torium deambulans, memet conspicendum præ-
„berem, mihi tamen ipsas conspicere non licebat;
„quippe quod fieri non poterat (f). Græci in
turribus quoque, pudoris & castitatis caussa, puel-
las includere solebant, teste Musæo,

πύργοις αὐτὰ προγόνων παρὰ γέλου, ταῖς θαλάσσην.

Turrim a parentibus (semota) ad vicinum ha-
bitabat mare. Poëm. de Leand. & Her. vers. 33.
Plerumque tamen intra claustra materni thalami
custodiebantur. Hinc Hesiodus Ascræus, in *Ἴηγοις*
καὶ ἡμέραις, versibus 516. 517. 518. 519.

*ἴε τάνεμας Βορεία - - - - -
καὶ διὰ παρθενικῆς ἀπαλόχροος ἡ διάστη,
ἵτε δέρματα ἔτοσθε Φίλη παρὰ μητέρι μίμει,
Οὐσῶν ἕργ' εἰδοῦσι πολυχρεύσα Αφροδίτης.*

Vis venti boreæ - - -

Per tenelli corporis virginem non perflat,
Quæ in ædibus caram apud matrem manet,
Non dum opera sciens aureæ Veneris.

Interdum etiam custodiæ earum gravibus con-
credebantur senibus, quorum erat virginis exequen-
tes

tes comitari. Quid? quod his injunctum esset, antequam prodirent pupillæ juvenculæ, loca quæque vicina scrutari, ne forte ex improviso in oculos curiosi cujusdam masculi temere incurrerent. Rarissime tamen exeundi licentia concedebatur, & non nisi prægnantes adessent rationes. Unde Phocylides in præceptis, severè ad diligentiam hortatur omnes, quorum fidei credita est custodia puerarum, his usus verbis:

Παρθενικὴν δὲ Φύλασσε τολυπλεῖσσος θαλάμωσις,
Μηδέ μιν αἷχει γάμων πρὸ δόμων οὐφεύσαι εἰσστη.

Virginem autem custodi intra thalamos diligenter, Neq; eam sinas ante domum videri, quoad nupserit.

Apud Romanos ipsis Calendis Maji colebatur Bona Dea, quæ apud Græcos Θεὸς γυναικεῖα adpellabatur. Hanc tam inusitatæ tradunt pudicitiæ, ut extra gynœceum nunquam fuerit egressa, nec nomen ejus in publico, unquam sit auditum, nec unquam virum viderit, vel a viro visa fuerit, quamobrem nec vir in templum ejus ingreditur, teste Macrobio Lib. I. cap. 12. Quoniam igitur puellæ tam diligenter ab occasionibus libidinum defendebantur, mirum non est, quod maximam sui reverentiam ferocibus alias hominibus moverint, quæ illibata[m] servaverant pudicitiam. Tradunt enim scriptores, saepè ab insolentibus militibus dimissas fuisse juvenculas, simulac se virginis esse affirmassent. Nefas enim putabant ob vanam delectationis umbram tantum bonum minuere.

Cum vero gentiles custodiæ virginum tantum diligentiaæ impendebant; quid mirum, si ecclæsia quoque primitiva tam proficuum adoptarit institutum? Nervosæ Cyprianus: „Nunc nobis sermo est ad virgines, quarum quo sublimior est gloria, eo major est cura. Flos enim est ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi: in libro de virginibus. Hinc Augustinus: „Dominica virgo publicos debet evitare conspectus, & platearum frequentiam devitare, atque in domo posita operi lanifico insistere, vel lectioni divinæ, in libro ad sacras virgines. Pari modo Chrysostomus: χρὴ τὸν παρεγένετον πατρακόθεν τελείωσθαι, καὶ ὀλιγάκις τὸ πατρὸς διναύτης προβαίνειν τῆς ὄσκιας, ὅταν ἀπαραίτητοι καὶ αὐγκαῖαι κατεπείγουσι περφάσσεις. Fas est virginem firmo quasi muro undiquaque muniri, atque quolibet anno rarissime domo egredi, tum nempe, cum gravissimæ & necessariæ efflagitabunt caussæ.

(f) Vid. Eskuches Erleuterung der Heiligen Schrift, aus Morgenländischen Reise-Beschreibungen Eilster und Zwölfter versuche, pag. 399. & 400.

§. VI.

Sed, inquis, hæc omnia nihil ad farinam faciunt, quum hic præcise quæstio instituatur de ratione denominationis juvenculæ Hebraicæ. Age igitur,

tur, huic etiam genti usu receptum fuisse ostendemus, puellas adcurata munire custodia, ne florem virginitatis amitterent. Hoc, ni fallor, ex loco II. Maccab. III: 19. constat, ubi haec habentur: οἱ δὲ ἐκ τῶν οἰκιῶν ἀγελῶν ἔξεπέδων ἐπὶ πάνθημον ἱκετεῖαν, διὰ τὸ μὲν ἄστρον ἡστὶ καλαφέστησιν ἔρχεσθαι τὸν τόπον. ἕπειδενέναι δὲ ὑπὸ τῆς μαζᾶς αἱ γυναῖκες σάκκους, καλὰ τὰς ὁδές ἐπλήνουν· αἱ δὲ καλάκλεισοι τῶν παρθενών, αἱ μὲν συνέρεχοι ἐπὶ τῆς πυλῶνας, αἱ δὲ ἐπὶ τὰς τείχους, τινὲς δὲ διὰ τῶν θυρῶν διεξέκυπτον.

Quæ verba glossa vetus versioni Latinæ adjecta, hunc in modum interpretatur: virgines, quæ conclusæ erant, h. e. de domibus parentum non exhibant, ratione verecundiæ & pudicitiæ virginalis. Et III. Maccab. I: 18. οἱ τε κατάκλεισοι παρθένοι ἐν βαλανέοις σὺν ταῖς τεκνάσις ἐξώμησαν· καὶ σποδῷ καὶ πόρει τὰς κόρας πασάνεναι, γόνῳ τε καὶ σταυρῷ ἐνεπίπλων τὰς ψλαζεῖας. edit. Breitling Tom. II. pag. 624. col. 2. Voce βάλανοι hic indigitari non conciliale matrimoniale, in quo maritus cum uxore degit, sed penetrale muliebre, seu partem domus interiorem, quæ Cornelio Nepoti γυναικανίς adpellatur, firmiter tenemus; quum & usus vocis hanc significationem admittat, & res ipsa eandem postulet. Flavius igitur Josephus, Antiquit: Lib. VII. cap. 7. Ubi historiam incestus Ammonis recenset, eundem fororis suæ Thamaris vix compotem fieri potuisse dicit, διὰ τὴν Φυλακὴν, propter adcuratam custodiā, qua servabatur. Si vero cui dubium videatur, utrum virginem præcise significet hoc nomen,

men, ex eo capite, quod omnes mulieres include-re solerent veteres, ut ex iis, quæ dicta sunt, ad-paret; is cogitet velim, singularem fuisse rationem, cur virgines potius, quam singulæ femellæ adpel-larentur עַלְמֹתָה seu occultatæ. Nam innuptæ in-terioribus servabantur penetralibus, nuptæ vero conclavebus exterioribus degebant. Ne gratis hoc dixisse videamur, provocamus ad testimonium Phi-lonis ἀρεὶ τῶν ἐνέδει σώματος, ubi hanc differentiam exsertis verbis proponit. Ita vero ille: Θηλεῖαι δὲ ὄντες καὶ ἔνδον μούνην παρθένοις μὲν εἶσαν κλεπτάδων τὴν με-σάνθων ὅρον πεποιημέναις τελεῖαις δὲ ἡδη γυναιξὶ τὴν ἄνθων. h. e. Feminis autem convenient custodia domus & assidua intus mansio: & virginibus quidem intra penetralia, quæ media casa continentur; mulieri-bus vero maturis intra reliquam domum. Præterea vel exinde probabile redditur, nomen תִּלְעָה, quod formaliter occultam sonat, materialiter virginem, hoc est, puellam integræ pudicitiæ, denotare, quod Chaldæi meretricem seu feminam, quæ viris copia sui facta, flore virginitatis privata est, opposito nomine insigniant, dum eam adpellant בָּרָא extra vagantem & foris discursantem, de qua re legi poterunt loca a Buxtorfio allata, in Lexico Chald. Talm. & Rabb. p. 1373, seqq.

§. VII.

Objecerit fortasse quispiam minus tutam esse hanc vocis תִּלְעָה etymologiam, quod virgi-nes Ebræorum olim interdum non thalamo solum mater-

materno, non paterna domo, sed urbe etjam exierint, ut exemplo Rebeccæ, aquationis caussa egressæ, Mirjam, virginum tympanizantium &c. constare nemo unquam fuerit inficiatus. Nobis contra monuisse sufficiat, non ita absconditas fuisse virgines, ut extra limen nunquam omnino pedem efferrent; sed prodiisse foras, vel sacrorum caussa, vel ubi necessitas aliqua, aut patria consuetudo postularet. Custodiam vero cum alias, tum noctu maxime fuisse circa illas adhibitam, ut ab omni virorum accessu seclusæ potius ac tutæ essent (*). Frustra proinde GUSSETIUS hanc denominandi rationem rejicit, cum quod, eo judice, officiat luci Prophetiarum, tum quia de facto non latuerat Maria, sed fuerat educta ad sponsum, qui eam γαληθασσει. Sufficit quippe virgines singulari cura apud Hebræos fuisse custoditas, ut inde nomen **עלמה** usu fuerit concessum, sufficit honeste, pro more puellarum suæ gentis, latuisse Mariam, antequam ad sponsum educeretur. Quod si tamen præterea **עלמה** nuncupatam usurperis, quia nuditas ejus nondum a viro fuit reiecta & custodita, vel si magis placuerit obsignata: quo minus & hoc simul admitti possit, equidem nihil caussæ video. Sunt etiam, qui rationem reddituri, cur virgo apud Hebræos nuncupata fuerit **עלמה** occultata vel abscondita, fundamentum denominationis inveniendum autumant, in ritu velandi faciem, quem apud orientem

(*) Conf. Huet, Dem. Ev., Prop. IX., p. m. 690.

orientales viguisse idonei tradunt auctores. Quoties enim in oriente necessitas postulabat, ut domo egrederentur virgines, toties pudoris & castitatis caussa totum corpus pallio, caput peplo & vultum reticulo quodam sericeo tegere solebant, ne forte juvenibus occurrentibus occasionem vilium amorum præberent. Ita vero confectum erat reticulum, quo utebantur, ut totum obtegeret vultum, exceptis duobus spatiolis, quæ videndi ergo pro luminibus oculorum nuda relinquere sueverant. Hunc ritum exponit Lucanus Lib. II. de bello pharalico ubi sic canit:

Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Sic Rebecca, sponso suo Isaaco obvia, in signum verecundiæ caput peplo velasse legitur Gen. XXIV: 65. Atqui etiam apud ethnicos velatae ad virum deducuntur, scribit Tertullianus in libro de velandis virginibus. Nec obstat, quod universus sexus femininus inter deambulandum velamine uti soleret. Virgines enim hunc morem reliquis adcuratius observare tenebantur, adeo, ut ne quidem intra domum nudum exhiberent vultum, si viri adessent. Hoc confirmat testimonium Olearii qui in itinerario pag. 108. ubi de veteribus Livonibus loquitur, auctor est, sponsas, dum nuptiæ celebrantur, quamdiu ad mensam sedent, solere faciem te-
gere. Hinc Rosinus Libro V. Cap. 37. Antiquit.

Ro-

Roman. observat, nubere valuisse tegere, & nuptias sic adpellatas fuisse, a ritu tegendi faciem. Nam finitis demum nuptiis maritis nudum exhibebant vultum, atque inde est, quod Phurnutus seu Cornutus de Nat. Deorum tradat nympham dici sponsam ἀπὸ τὰς νῦν Φάντασι, cum antea velata adspectibus virorum non patuerit. Etsi enim, ut diximus, non nisi completo conjugio removebatur peplum, faciem tamen semoto peplo conspicientem præbebant novæ nuptæ, cum foedera inirent conjugalia. Hinc a sponsis & cognatis certa quædam dona novis dabantur nuptis, quæ ὀτρίησι & θεωρήσι & ἀθέμιτρα & ανακαλυπτήσι dicebantur, quod tum primum copiam sui videndi facerent, cum antea faciem studiose velassent, nec cujusquam conspectui eandem exposuissent. De puellis Arabicis curiosam quandam historiolam adfert d' Arvieux. Juvenculæ, inquit, cum forte occurrunt adolescentibus, quos amore prosequuntur, callida quadam ratione, nudum ostendunt vultum, ut occasionem se conspicendi, sine suspicione lasciviæ, præbeant. Peplum enim, cuius extremitatem dentibus teneant, decidere sinunt, atque illico resumunt, perinde ac si casu & præter voluntatem accidisset, ut conspectui eorum exponerentur. Videatur Baltas. Ludov. Eskuches Erleuterung der H. Schrift aus Morgenländischen Reise-Beschreibungen pag. 397. & 398. Atque hinc jam concludimus nomen נַשְׁלֵל, sive obfiguandi, sive occultandi, sive abscondendi significatio radici נַשְׁלֵל tribuatur, materiali-

rialiter denotare virginem puram & castam, illibatam & incorruptam.

§. VIII.

PAUCIS porro de *usu* vocis **עלמה**, uti §. III. dictum, agendum supereft. Septies in Hebræo legi Codice dudum obſervarunt eruditæ, non niſi veram, intactam & illibatam illa notari virginem idem argumentis solidis evincere conati. Sollicitatur, præter eum, de quo agitur, locum Proverb. c. XXX: 19. ubi ad verba, **רַךְ גָּבֵר בָּלְמָה** *viam viri ad virginem*, male provocare ſolent Judæi, contendentes vocem **עַלְמָה** de adultera ideo debere intelligi, quod veru mox ſubsequente, mulieris adulterium committentis injiciatur mentio; quæ inferendi ratio quam fit illegitima, quamque infirmo nitatur talo, cuivis in propatulo eſſe crediderim. Illud enim de quatuor inſcrutabilibus apophthegma veru 19. penitus abſolutum, ſequitur veru 20. novum, de muliere furtim ac illicie libidinem explente. Hoc igitur non impedit, quo minus veru præcedente, de virgine agatur illibata. Particula autem **נִכְחָדָה** hoc modo nexum efficit. Quemadmodum **גָּבֵר vir**, v. 19. mire multisque artibus virginem ambit intactam: ſic femina adultera & ipsa miras suas habet vias, inque occultandis & negandis ſuis flagitiis non minus, immo ſæpe magis quam **vir**, mire eſt callida & expedita.

Sen-

Sensus proinde commatis 19. hac ratione ex-
primi haud incommode posse videtur. Mira est
via viri ad (vel circa) virginem : h. e. ejus agen-
di ratio plane negotiosa & mirabilis, quæ efficitur
cum pedibus corporis, hinc inde sæpius vaganti-
bus, euntibus, redeuntibus &c. tum pedibus animi.
Est enim hic mire inconstans, operosus, sollicitus,
deliberans, examinans, impetuose properans, æ-
stuans, impatiens, cuncta alia fastidiens, flexus
varios artesque ac insidias, instar aquilæ, serpen-
tis navisque excogitans, idque omne circa virgi-
nem, quam deamat, & cui copulari cupit. Hæc
ejus via tanto fit mirabilior, quanto purior, ma-
gisque conclusa & recondita est לְמַתָּה. Nam

Nitimus in vetitum semper, cupimusque negata.

Sed via ad meretricem tantas difficultates, aut
ambages miras non habet. Et sic quidem h. l. לְמַתָּה
virginem proprie dictam significare patescit. Cæ-
tera quinque loca cum nihil fere habeant difficultatis, idem de iis valere, dubitari non potest.
Unde & in dulcissimo nostro Efajæ de virginitate
matris Messiæ vaticinio, eundem obtainere vocis
significatum, ex usu Biblico, inductione locorum
evicto, tuto colligimus.

Accedit in robur asserti, præter consensum
versionum antiquissimarum, Alexandrinæ, Chal-
daicæ, Syriacæ, Aquilæ, & auctoritatem Evangelistiæ
Matthæi, c. I: 22, 23, etjam illud, conceptio-
nenem & partum feminæ cujusdam communis nihil
habe-

habere, quod tanti nomen signi tueri queat, quantum **וְיַהֲוֵה**, alibi cum **וְיַהֲוֵה** coniunctum innuere loca S:æ S:æ varia probant. (*)

Non enim de levi signo heic agitur, sed de ejusmodi, quod daturus est & Deus ipse, & super raturum quocunque Achazus signum petere potuisset, in cœlo aut terra, & neglexerat. Adde, nomen Immanuelis augustius esse longe, ut vulgari filio, vel ob caussam minoris momenti, tribueretur, cum ē contrario Messiae optime & plenissime competenter. (**)

(*) Conf. Jes. XXX. 3. Deut. VI: 22. Exod. VI: 9,
17, 25, 30. Jos. XXIV: 16.

(**) Conf. Hornbeek Libr. III. pro convincendis Judæis.
p. m. 222. seqq.

S. D. G.

